



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

12. Bassvs tempore Paschali confessionem & communionem in Monasterio quodam Mendicatum peragens non satisfacit præceptio annuæ communionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

bis legis, tū ex naturali ratione etiam secundum præsentis rerum circumstantias.

XII. *Bassus singulari affectu fertur erga certam quandam Ecclesiam Ordinis Mendicantium, in eaque confessiones & communiones suas peragere solet; & cum nuper festum B. V. Mariæ Annuntiatae in tempus Paschale incidit, sumptā ibidem S. Communionem non reperit eandem amplius in sua Parochiali Ecclesia. Queritur. Vtrum præcepto annuæ Communionis satisfecerit?*

Videtur satisfecisse. Ita Rodriguez Tom. 1. *Quest. Regul. quest. 56. art. 3. Beia in Respons. part. 4. casu 4. Sorbo in compendio priuil. V. Communicare. Vega 4 Part. Casuum Conscientia. casu 4. & alij apud Dianam P. 2. Tr. 14. Resol. 73. & P. 6. Tr. 7. Resol. 58. Mouentur maximè ex eo, quod Nicolaus V. concesserit Monasterio B. Mariæ de Cuadalupe, vt omnes Christi fideles illuc confluentes possint Eucharistiam ibidem sumere, etiam in Paschate, & satisfacere præcepto annuæ Communionis; quam dein concessionem Pius IV. & Pius V. extenderunt ad omnia monasteria illius ordinis S. Hieronymi. Quo posito, clarè infertur, omnes alios Religiosos per priuilegiorum communicationem eadem potestate frui. Nec refert, quod fortè priuilegio hoc non fuerint vsi, quia, vt docetur de LL. per non vsu non amittitur priuilegium in grauamen aliorum non cedens, quale est præsens.*

N 4

Resp.

Resp. Probabilius esse, Bassum non satis fecisse præcepto annuæ Communionis. Ita Suarez de Relig. Tom. 4. Tr. 10. L. 9, c. 3. n. 8. Nauarr. Azor, Palao de Euch. Tr. 21. D. vnic. pun. 19 n. 5. & communiter alij, in quorum sententiam etiam inclinatur Facundez de 3. præcepto Ecclesiæ L. 1. c. 5. n. 16. contrariam opinionem approbare non ausus. Nam verosimile est, extensionem factam à Pio IV. & Pio V. non esse admissam à Religiosis S. Hieronymi, siquidem eam nunquam vsi sunt: & multò minùs admissam esse ab aliis Religionibus, uti de nostra Societate manifestè constat ex compend. priuileg. V. Eucharist. § 21. Priuilegium autem, ut vim habeat, acceptationem requirit, ut docetur de Leg. Refert etiam Diana part. 6. loc. cit. declarationem S. Congregationis anno 1638. editam, in qua ex mente Summi Pontificis hac de re rogati expressè habetur, omnes Laicos Sacramentum Eucharistiæ de manu proprii Parochi teneri suscipere, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant; intellige absque consensu Pastoris saltem interpretatiuo siue præsumpto, hunc enim sufficere, rectè notat Tambur. in expedit. commū. c. 4. §. 4. Atque ex his etiam constat ad fundamentum contrariæ opinionis.

XIII. Calao Princeps duos ex suis subditis habet homicidij reos, utriusque horum vitam, si veller, donare posset. Verùm ut spectaculum præbeat Nobilibus